

LVNÆ DIE 20 M. OCTOBRIS A. 2008

A.d. XIII Kal. Novembres a. MMVIII

I 4 6

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P701451



# AD LECTOREM

## DE TIMORIBVS

Timor, timor... Valde timenda erat ambiens natura primitivis hominibus fere inermis et impotentibus. Quamquam hodierni putant se naturam domuisse, quotannis multi experiuntur naturæ vim et pereunt terræ motibus, procellis, inundationibus, fulguribus et aliis. ¶ Præter naturæ timorem, tres maiores timores homines opprimunt, qui pendent a cibo, valetudine et libertate. ¶ In nostris quidem regionibus tantum abundant cibi, ut vix quisquam famem patiatur et multi sint obesi. Hominum valetudo numquam tam bona fuit quam hodie, propter medicinæ progressus et securitatem sociale; non solum multo diutius vivunt quam antea, sed multi ætate proveci diu alacritatem servant. In nostris societatibus iam non sunt servi; nostra regimina democratica civium libertatem omni modo tuentur, etiamsi libertas non omnibus est eiusdem amplitudinis. ¶ Quamquam res hodie optime se habere videntur, in humana societate nostra sævit anxietas et animi depressio. Cur? Fortasse, quia homines inscientes timent ne hæc prosperitas non sit perpetua; præterea multis novis timoribus perturbantur. Longa est series periculorum imminentium, quorum pleraque ab ipsis hominibus generantur. ¶ Inusitata pace iam semisæculum feliciter fruitur maxima Europæ pars, sed his novissimis annis in reliqua parte, in regionibus Balkanicis scilicet, orta sunt crudelissima bella. Tota tamen non est pax apud Occidentales gentes Europæas et Americanas; invidiosi enim infestique homines, plerique religione mahometana nitentes, insidiosus, inexpectatis ignobilibusque ictibus terrorem iniicere conantur gentibus Occidentalibus; tantum est odium nonnullis eorum instillatum, ut morte voluntaria in ipsa letifera disputatione pereant. ¶ Aliud periculum, ad totum planetam nostrum spectans, est incrementum generale temperaturæ, quod plerumque humanis actuositatibus imputatur. Incrementum tamen temperaturæ iucundius videtur esse quam decrementum; nam reditus ætatis glacialis multo magis ingratus esset. Timenda tamen est in nonnullis regionibus ascensio marium libræ. Vehementissimæ procellæ et incendia etiam climatis mutationi tribuuntur. ¶ Ante decem circiter annos in communicationis intermediis cœptum est loqui de ozonii foramine supra continentem antarcticam invento. Ozonium, quod tunc a plerisque erat omnino ignotum, subito fit novum periculum. Copia ozonii in stratosphæra nos protegit a noxiis radiis ultravioleticis, quos sol emittit; inter alia inducunt cancerum periculosissimum, quem medici melanoma vocant. Quamquam ozonii genesis et deletio in stratosphæra nondum plane explicatæ sunt, compertum est nonnulla gasa ab indus-

tria humana producta æquilibrium inter productionem et deletionem ozonii perturbare; ea enim, quæ chlorum continent, cum in stratosphæram migrant, ozonii deletionem accelerant. ¶ Cives audiunt se inscios comedere cibos venenosos. Nuper, exempli gratia, detectum est improbos pullorum gallinaceorum cultores pastum oleo minerali commiscere, unde fit ut pullorum caro inquinetur dioxino, quod est homini nocivum. ¶ Energia atomica, etiam pacifice adhibita, periculosa est, id quod demonstravit calamitas electrificationis atomicae urbis Tchernobyl. Sed præter hanc magnam calamitatem, fiunt minores casus etiam periculosi. Quid dicendum est de periculo dilato, quod inest in latebris ubi relegantur quisquiliæ pæne in æternum radioactivæ? ¶ Vicesimo sæculo non solum energia atomica inventa est, sed geneticæ arcana etiam detecta sunt, ita ut homines nunc valeant hereditatem animalium et plantarum mutare. Creantur nunc « plantæ geneticæ mutatae », quæ dicuntur, quarum reditus melior est, quam naturalium; nondum tamen scimus qualia detrimenta oriri possint ex hoc novo culturae genere. ¶ Medicinæ progressibus plerique morbi sanari possunt, sed continuo apparent novi morbi, contra quos remedia laboriose sunt invenienda. Nova vira, ut virus syndromi immunitatis defectus acquisiti (SIDA), virus Ebola, quod intestina lædit, virus SRAS, quod pulmones lædit, mutabile grippæ virus, etc.... ¶ Etiam certæ moleculæ, eademque minores, quæ vocantur « priones », inducunt apud ovem « encephalidem spongiosam »; hic morbus vaccis transmissus est improborum hominum culpa, qui non dubitabant vacas alere carne ovium ægrotantium. Inscii homines tunc bubulam comedentes hanc encephalidem contraxerunt, similem raro incurabilique morbo a Creutzfeld-Jacob vocato. ¶ Ne pulveri quidem confidere licet; hæc particulæ, quales præcipue emittunt industria et autocinetorum motra, pulmonibus eo magis nocent, quo tenuiores sunt. Pulvis amianti, materiæ incombustibilis, quæ multum adhibebatur in re ædificatoria, gignit terribilem pleuræ cancerum. ¶ Novum fortasse periculum oritur ex invisibilibus undis electro-magneticis, quibus magis magisque immergimur; oriuntur enim e lineis electricis altæ tensionis, emissionibus radiophonice et televisionis atque recentius e telephonis cellularibus; etiam satellites geostationarii de cælo undas electromagneticas ad nos mittunt. Nemo adhuc certo scit qualia pericula his undis gignantur, sed medici suspicantur eas inducere leucæmiam infantilem, cancerum cerebri, morbum Alzheimerianum, perturbationes acusticas et nervosas, perturbationem somni, mutationes geneticas... ¶ Quasi

## AD LECTOREM

hæc omnia non sufficerent, Centrum Europæum Requisitionis Nuclearis (C.E.R.N.) mense Septembri huius anni in usum induxit maximum instrumentum scientificum umquam exstructum, LHC (Largus Hadronorum Collisor) vocatum. In hoc subterraneo circulo 27 chiliometra longo physici volunt collidere protona fere usque ad lucis velocitatem accelerata ; inde orientur ingentes energiæ et temperaturæ, quibus sperant se arcana infimarum particularum detecturos meliusque intellecturos esse initia universi nostri. Sed sunt qui audiverint etiam « foramina nigra » hoc instrumento gigni posse, voracia phænomena, quæ omnem vicinitatem absorbeant et deleant ; quare putant instare mundi nostri finem. Tantus est hic insanus terror, ut nonnulli obnoxiiis scientificis mortem minentur ! ¶ In hodierna societate humana plerique iam non curant de vetitis religiosis, peccant sine verecundia nec inferno terrentur, sed valde timent perniciosam consequentiam usus omnium bonarum rerum. ¶ Dum coævi nostri afficiuntur his variis timoribus, quorum causæ non sunt in eorum potestate, sunt pericula bene nota, quæ vitare possunt, sed quæ mirum in modum multi neglegunt. Inter alia, tabaci fumus toti corpori nocet et

insuper sæpe inducit cancrum præcipue pulmonis et vesicæ ; tamen permulti fumificare pergunt. Multi habent malam diætam, unde oriuntur obesitas et diabetes mellitus. ¶ Olim homines solum certiores fiebant de calamitatibus, quæ in sua regione acciderant. Nunc nuntii undique celerrime afferuntur et diurnarii quæstum faciunt catastrophas nuntiando ; non solum magnas catastrophas, sed etiam privata infortunia, quæ antea ut nullius momenti habebantur. Sunt hodie acta diurna referta necibus, homicidiis, calamitatibus viariis, relationibus iudiciorum, dramatibus personalibus. Neque solum propter calamitates locales anxii fiunt homines, sed etiam propter longinquas, de quibus antea nihil audiebant. « International Strategy for Disaster Reduction » est O.N.U. institutum, quod conatur catastrophas prævidere, sed etiam de periculo gentes monet. ¶ Quamquam multo maiore securitate nunc fruuntur homines orbis Occidentalis, supersunt aleæ, quæ ægre tolerantur. Res mira, exstat etiam quædam timoris delectatio, ut patet e successu cinematicarum pellicularum horrificarum... ❧

Gaius LICOPPE



Imago sumpta hoc loco : <http://lhc2008.web.cern.ch/>

*Specus circularis 27 chiliometra longus, cuius minima pars bic ostenditur, centum circiter metris sub limitem Francogalliæ et Helvetiæ defossus est. Post 20 annos laborum physicorum et machinatorum, die 21 m. Octobris a. 2008 ibi sollemniter inaugurabitur maximum intricatissimumque instrumentum scientificum ab hominibus umquam exstructum, quod Anglice vocatur « Large Hadron Collider ».*

*Quid autem est hadronum (ἄδρῶς = spissus) ? Tempus iam non est, quo Democriti atomi habebantur ut minimæ inseparabilesque materiæ particulæ. In novo materiæ schemate atomi constant e minoribus particulis, inter quas hadrona, quorum notiora sunt protona et neutrona. Ex hadronorum collisione apparet ea ipsa etiam constare e minoribus particulis, quibus nomen datum est « quark ». Compluribus quarkorum generibus adduntur muta leptona (λεπτός = tenuis) : qualis familia !*

# DE MAPHÆI BARBERINI SIVE VRBANI VIII CARMINIBVS IUVENILIBVS (I)

– scripsit Theodericus Sacré –

**M**aximus<sup>1</sup> ille pontifex de quo sum dicturus, auditores, in hac Urbe non tam bene olim audiebat ; nam de eo scriptum constat quod in proverbium abiit : « quod non fecerunt barbari, fecerunt Barberini ». Unde adagium id contumeliosum sit ortum non ignoratis : nam e Pantheo vir ille, ædificio antiquo totoque terrarum orbe celeberrimo, lacunaria quædam tolli iussit ahenea, quæ a barbarorum direptionibus ad ea usque tempora servata conspiciabantur ; neque ullo verendæ vetustatis habito respectu permisit ut moles ea adhiberetur tum ad fastigium illud sepulchro Petriano in Vaticana Basilica superimpositum affabre faciendum, quod Berninius excogitaverat, tum ad tormenta conflanda, quibus mausoleum sive arx illa Hadriana muniretur. Quin immo tantum aberat ut eum rei perpetratæ puderet pigeretve, ut eandem lapide æterno qui Panthei ingressui affixus est, curaverit commemorandam :

VRBANVS VIII PONT. MAX.  
VETVSTAS AHENEI LACVNARIS  
RELIQVIAS  
IN VATICANAS COLVMNAS  
ET BELLICA TORMENTA CONFLAVIT,  
VT DECORA INVTLIA  
ET IPSI PROPE FAMÆ IGNOTA  
FIERENT  
IN VATICANO TEMPLO  
APOSTOLICI SEPVLCHRI ORNAMENTA,  
IN HADRIANA ARCE  
INSTRVMENTA PVBLICÆ SECVRITATIS  
ANNO DOMINI MDCXXXII, PONTIF. IX.<sup>2</sup>

Titulum eum dubio procul vestris oculis vidistis, auditores ; neque ego vestrum quemquam perambulasse hanc Urbem opinor, quin ternas apiculas passim conspexerit lapideas, quibus ornatur stemma sive insigne gentilicium Barberinianum, ornantur et ædes, fontes, ædificia huius urbis varia ac diversa ; nemo, inquam, inter vos est, quin nomine saltem cognoverit Maphæum Barberinum sive Urbanum Pontificem Maximum eius nominis octavum. Tanti viri vitam non est cur exponam neque id clepsydra sinat ; quam adumbrabo potius ita, ut in mentem revocem quæ ipsi vos, etiamsi litterarum Latinarum recentiorum historiarumve sive urbanæ sive ecclesiasticæ sitis parum periti, legistis tamen vel fando audivistis. Natus est Maphæus Florentiæ loco non humili, anno 1568 ; postquam in patria litterarum Latinarum tirocinium posuit apud sodales Ignatianos, Romam ad patruum est missus, cum pater eius immatura esset præreptus morte,

hacque in Urbe litteras studiose colere perrexit in Collegio Romano Societatis Iesu quod eis temporibus et aliis affluebat præceptoribus Latinis, et Francisco Bencio poeta haud ignobili ; itaque tam Florentiæ quam Romæ Barberinus poseos amore correptus est et versificationis arte penitus imbutus. Deinde duos per annos iuri in urbe Pisis incumberebat. Romam inde reduci, iuvante patruo eodemque protonotario apostolico, officia quædam ecclesiastica obvenerunt. Mox sacerdotio auctus et episcopatu donatus est Nazareno eoque titulari (nam ea diœcesis in partibus erat infidelium) ; interiectis aliquot annis, inter nuntios apostolicos promotus in Francogalliam est missus exeunte anno 1604 ; ibi per triennium mansit atque inter Patres Cardinales est interea adlectus ; paucis post annis episcopus est creatus Spoletensis. Cum legati Bononiensis esset munere per tres annos functus, Romæ tandem sedem sibi fixit ; cum autem opibus maxime floreret, nihil obstabat ne ædes urbanas conduceret splendidiore, mox exstrueret villam suburbanam lautioiorem (quam postea refecerunt ampliaveruntque Carolus Madernus et Iohannes Laurentius Bernininius architecti), familiam aleret minime exiguum, opera compararet sibi summa arte perfecta, bibliothecam libris et codicibus instrueret oppido multis pretiosisque, litterarum cultores fovaret præcipuisve viris litteratis, quos tum Urbs habebat, familiariter uteretur ; in quibus haud pauci fuerunt poetæ Latini, veluti Antonius Quærenghus, ortu Patavinus, sede per multos annos Romanus, necnon Virginius Cæsarinus, iuvenis eruditissimus nationis Romanæ idemque immature ereptus anno millesimo sescentesimo vicesimo quarto, eum dico virum cuius carmina triginta et quod excurrit annis post Alexander P.M. eius nominis septimus in lucem publicam curavit edenda. Anno autem millesimo sescentesimo vicesimo tertio, cum terrenam posuisset vitam Gregorius P.M. quintus et decimus, Maphæus Cardinalis Barberinus tiara est redimitus petrea nomenque sibi elegit Urbani. Inde Christianæ reipublicæ gubernacula per lustra amplius quattuor tractabat, donec anno 1644 naturæ fecit satis cessitque fati. Ego vero neque de pontifice maximo neque de urbis architecto operumve urbanorum designatore atque exornatore verba hic sum facturus ; iuvat me in Barberino poeta Latino paulisper immorari.<sup>3</sup> Nam Urbanus ille octavus iis est adnumerandus summis rei christianæ antistitibus, qui Musam Latinam assidue excoluerunt ; quorum agmen clausit ineunte sæculo vigesimo Leo tertius et decimus, duxit Damasus ille papa eius nominis primus, qui quarto post Christum natum floruit sæculo.

Urbanus igitur, posteaquam summis reip. catholicæ gubernaculis est admotus, carmina quæ Latine composuerat, lautis ac nitidis vestibibus typographicis compluriens curavit induenda atque ita typis imprimenda ac divulganda; quorum editio princeps paucis ante summum pontificatum annis Parisiis anno ni fallor 1620 in lucem est edita; quæ deinceps ex ordine prodierunt editiones permultæ, novos identidem fetus novaque continebant poemata. Ne autem nævi, si qui essent, deprehenderentur vicariove Christi vitio verterentur, carmina sua ipse Urbanus amicis quibusdam castiganda tradidit atque limanda: inter quos fuisse videtur Lucas ille Holstenius ortu Hammaburgensis, sede ac domo tum Romanus, vir tam rei geographicæ reique historicæ peritus quam in re poetica artifex; nam eidem Holstenio iuxta cum Ferdinando Furstenbergio, nisi fallor, Fabius quoque Cardinalis Chisius, qui postea ad summum euectus est pontificatum, versiculos suos horis subsecivis compositos permisit perpoliendos atque corrigendos, id quod paucis innotuisse opinor. Urbani igitur octavi poemata summo opere admirabantur Christicolæ ac toto dilaudabant orbe terrarum; inde factum est et eius ut versus digni iudicaretur qui in Collegio Romano Societatis Iesu aliisque in gymnasiis ordinis illius religiosi publice prælegerentur, et ut commentariis iidem doctis illustrarentur, auctoribus Henrico Dormalio aliisque philologis. Itaque venam pontificis poeticam, in ipso pontificatu Musis haudquaquam valedicentis, uno ore omnes in cælum laudibus extulerunt, nisi forte Lutheri erant asseclæ; nam novatores isti, qui vocabantur, pontificios versiculos indignabantur; summi enim antistitis esse clamitaverunt res Christifidelium administrare; qui si ad ineptias poeticas descendisset, admisisse quod esset studiis curisque pontificiis omnino indignum. Hæc fere Iustus ille Rycquius poeta Gandavensis Belga idemque apud Athenæum Bononiense professor academicus, ad Iohannem Baptistam Laurum, virum doctum in Urbe versantem anno millesimo sescentesimo vicesimo septimo: « (...) cavendum omnino reor, mi Laure, hoc statuerum, nequid Pontifex de illa suorum ΤΕΚΝΙΔΙΩΝ editione subodoratus videatur. Audivi enim postremo hoc itinere Bononiensi et ante apud Transalpinos nostros persæpe, qui Pontifici hoc studiorum genus maligne exprobrarent; meliusque cum re Christiana actum iri arbitrabantur si manus ab his abstinens, quæ suæ essent functionis (ita calumniabantur illi) serio magis exsequeretur. »<sup>4</sup> Quæ verba dum lego, auditores, facere non possum quin sic sentiam, eiusmodi reprehensionibus monitum Alexandrum illum septimum, qui regnante Urbano auctorem Latinitatis poeticæ non

mediocrem sese ostendisset, cum naviculæ christianæ gubernaculis esset admotus, a versibus faciendis destitisse, ne in eiusdem generis odium incurreret; siquidem constat ipsum in ipso Purpuratorum Patrum conclavi mense Aprili anni millesimi sescentissimi quinquagesimi quinti ludicros sane versiculos de Patrum ibi congregatorum ægrotationibus luisse; inde vero a summo Pontificatu incohato poematum Latine exaravisse omnino nullum.

Ad rem vero ut redeam, errare vos, auditores, autem si ne unum quidem vobis Maphæi Barberini versiculum Latinum innotuisse contendatis. Nam mecum una vos, etiamsi hanc Urbem incolatis, periegetæ estis, admirandaque eiusdem lustrare soletis. Omnes igitur aliquando Musæum illud Burghesium, quod extat in Villa eiusdem nominis, adiistis; ibi, peregrinantium gregibus numquam non stipati, Myronis ut ita dicam opus divinum aspexistis, Berninianum dico Apollinem, qui Daphnen virginem amatam pæne assecutus in laurum converti miratur; nihil hoc opere elegantius excogitari potuisse meministis, nihil, quamvis sit marmoreum, magis spirare videri. Postquam igitur statuum illam admirabundi circumiistis, oculos, ni omnia fallunt, demisistis, basimque disticho Latino adornatam intuiti estis; quæ hæc habet verba iuncturis aliquibus sumptis ex Ovidio poeta, maximo fabulæ eius ornatore:

Quisquis amans sequitur fugitivæ gaudia formæ,  
Fronde manus implet, baccas seu carpit amaras.<sup>5</sup>

Hos ergo versus scitote Maphæum nostrum scripsisse; quibus fabulam amatoriam et profanam in usus morales convertit et statuum haudquaquam religiosam, qua ædes Scipionis Cardinalis Burghesii ornabantur, visentibus commendavit.

Ceterum levia vel frivola in lucem publicam ne emitteret recusavit pontificatus Urbanianus; imo elucebat in iis carminibus pietas, fides, castitas, ipso vate reiciente ac valde vituperante figmenta mythologica et amatoria qualia protulerant veteres:

Cur magis oblectant lauri, felicior arbos  
si crux divini pignus amoris habet?  
Orphea cur canimus penetrantem ad Tartara, victor  
si spolians Erebum Jesus ad astra redit?<sup>6</sup>

Rursus et hæc:

Quis ferat obsceno sparsas modulamine chartas  
Quæ pueros peccare docent tenerasque puellas?

Inserit infusum veluti sub melle venenum  
Musa procax...<sup>7</sup>

Itaque pro paganis et amatoriis argumentis suppositus ille sacra et divina ex utroque Testamento et poetis Christianis petita ; quæ tamen ita perpoliebat, ut versus ad amussim ævi aurei facti esse viderentur. Qua in re non eorum vestigiis ingressus est, qui cincinnos luxuriantes flosculosque barocæ artis proprios et fucos asciticios Latine captaverant, modo omni in rebus interdum amisso, verum subtilitatem quandam humilem et sobrietatem ad optimos vates proxime accedentem venabatur pietatique gravitatem et doctrinam admiscebat. Cuius ego cum poematia cum Chisianis comparo, non possum non mirari quam pauca de ipso vate patefiant ; nam Chisius Horatiano potius more poetando de se ipse multa refert, iocos salesque immiscet versibus, de immitti Germanorum cælo queritur, cultum mulierum Guestphalicarum vivide describit, versibus exponit quemadmodum sectione chirurgica sibi sint calculi ablati, compluribus hodœporicis itinera sua particulatim denarrat, alia id genus haud pauca, quibus lectis in intimos poetæ sensus tibi videris penetrasse. Barberini contra me iudice friget aliquatenus Musa, penitusque latet vir ipse sub versibus, immo legentes effugit prensantes, quippe qui una sit re hac contentus, quod gravitatis severitatisque personam sustinet doctorisque cathedrarii partes usque agit, probos mores et fidem orthodoxam alumnis, ut sic dicam, numquam non inculcantis. Raro evenit ut virum vivum præsentemque tibi videre videare, veluti cum se ipse senescentem ad mortem meditandam adhortatur, Lucretiani libri tertii uti mihi videtur memor :

Caligant oculi, languentia crura labascunt,  
Deficit et membris qui fuit ante vigor.  
Præteritis lustris bis septem, labilis ætas  
Nuntiat extremum non procul esse diem.<sup>8</sup>

Quos versus haud scio an non cognoverit Leo P.M. eius nominis tertius et decimus, qui instante, ut ipse ait, morte, sæculo undevicesimo ad finem vergente, Deo et Virgini hæc vota :

Extremum radiat, pallenti involvitur umbra  
Iam iam sol moriens; nox subit atra, Leo,  
Atra tibi; arescunt venæ nec vividus humor  
Perfluit; exhausto corpore vita perit.<sup>9</sup>

Præterea nihil Maphæo Barberino magis curæ quam vestis metrica perfecta atque absoluta. Nam

Benedictum Lampridium aliosque sæculi sexti et decimi poetas secutus, qui odas Pindaricas ad usum Latinum deduxerant, mira metrorum varietate intra singula carmina adhibitorum præstabat. Itaque præter carmina de Christo sive nascente sive patiente conscripta, et hymnos ad Deum et Sanctos, locos ille e Scripturis Sacris depromptos poetice reddidit neque id quidem infelicitur. Hinc etiam factum ut ipsius iussu brevissimi hymni quidam, quamvis essent vetustate sacri, viris facultate poetica præstantioribus, veluti Stradæ et Sarbievio, proponerentur ad emendandum, quod versiculi barbarie linguæ et versificationis maculis deturparentur ; quæ correctio Pontifici Maximo vitio est postmodum data, reclamantibus Christifidelibus Latinitatem eam quidem accessisse hymnis ita ad limam revocatis, at recessisse pietatem. Erat sæclum : recolite enim, ut diversam attingam artem, quid detrimenti eadem tempestate eodem auctore ceperit Pantheon.

Hæc ergo ille, et alia eiusdem farinæ carmina conscripsit dum gravioribus fungitur muneribus ecclesiasticis, cum esset pontifex, Cardinalis, Summus Antistes. Sed hercle, quantum vir adultus ab adolescente distat ! Servantur enim adhuc primitiæ eius poeticæ, quæ ad id quo vivimus tempus remanserunt ineditæ, nuperrime in lucem sunt prolatae. In his Maphæus, ut cum Plinio loquar, amat, odit, dolet, laudat, ludit, ab amore Venereo haud alienus fabulosæque antiquitati amicus admodum. Quæ res in universum æstimanti non est miranda, cum tot fuerint illis temporibus versificatores et poetæ qui adulescentes ardentes cecinerunt amores, adulti ab amoribus ad bella heroica, senes a bellis ad pia deflexerunt atque moralia. In Barberino vero magis videatur res aliquibus miranda, quod vir inter viros eiusmodi carmina minus austeram sit identidem detestatus ; ne tamen illud memoria deponamus, quod quo tempore adulescens et iuvenis versus eos fundebat, nondum erat ei ad sacerdotium inclinatio animi ; nam hæc omnia iuvenili ardore lusa sunt vel Florentiæ in gymnasio Ignatiano, vel Romæ in Collegio Iesuitico, vel Pisis, cum ibi in studiorum altiorum domicilio esset auditor. Ceterum ne ita putemus, quæ tum scripsit, ea sanguine ipsius tincta, quod eiusmodi argumenta amatoria ad palatum nostrum magis sapiant : etenim et in id genus versiculis, si verum quærumus, vita et veritas magnam partem desideratur totaque res in imitatione magis est posita. Id utcumque est, illud sane mirabitur nemo homo, quod quæ ille adulescens luserat, quæ iuvenis iuvenili ardore conscripserat, ea tegenda deinceps atque celanda autumavit ; nam præter unum alterumve poematum

ad iudicem quendam missum quod corrigeretur ac preli causa perpoliretur, nullum publici est factum iuris. Quod cum ita sit, asservantur tamen primitiæ, quæ continentur codice quodam Barberiniano, in Vaticana nunc Bibliotheca custodito ; quis litterulas pinxerit non constat ; ipsius poetæ manu factas esse contendit mulier quædam docta ; mihi vero errorum mendarumque numerus maior videtur esse quam ut poematia ab ipso Barberino descripta esse credam. Utcumque est, de his lusibus iuvenilibus ante hos tres annos primum editis mihi, si per vos licebit, brevis erit sermo. Nam, ut vere fatear, legenti mihi versus eos iuveniles eadem fere obviam venit elegantia scribendi, quam eram in carminibus eius maturioribus antea admiratus. At idem, dum conamina evolvo, in tot incidi nævos, errores, menda, lapsus, ut scire mox voluerim eane vere admisisset poeta, an scribæ potius incuria vel etiam editricis in chartas irrepissent. Nam elegantia et diligentia Latine pangendi cum erroribus satis crassis ita pugnat, ut probe sciam fuisse me erraturum, errata ea si ipsi versuum auctori imputarem.

Eia, expergiscamur tandem aliquando mentesque nostras auscultando lassulas iam, iamque somniculosas relaxemus, acuamus, arrigamus, experientes si coniecturis freti firmis, quæ ipso codice eo, quem dixi, corroborentur, vulneribus eis, quæ editrix Maphæi Camenæ nuperrime inflixit, mederi valeamus, nomenque inde verorum ac genuinorum criticorum iusto possimus omnes mereri iure unaque opera veneres eas Barberini iuveniles cognoscamus. Hortor ergo ego vos, sodales atque auditores, ut mecum una ad locos quosdam advertatis mentes et quid immutandum, quid delendum, quid aliter interpungendum, quid emendandum, quid coniciendum quidve diversimode intellegendum, certatim, ut ita dicam, exclamitetis ; qua in re nolite timere ne vos abducam ad artem divinandi execrandam ; nam ego antequam codex is Barberinianus, acidiore atramento fatiscens litterisque passim evanidis insignitus, lecturientibus commodari est desitus et anno ante quam ipsa Bibliotheca Vaticana in tempus certum dicam an incertum est clausa, opus denuo inspexi ac recognovi ; itaque, si opus, præibo quodammodo vosque iuvabo, non ignarus quid liber ille manu scriptus vere exhibeat, quasve lectiones reapse tueatur ; impediam ne vulnera nova infligamus dum cicatrices sanare conamur. Præmonitos autem vos esse cupio, me hoc argumentum minime tractare quo derideam eam mulierem doctam, quæ eos versus primum divulgavit ; immo, credatis mihi velim, gratiam me collegæ illi debere, quod id operis susceperit ; cuius ego quod laudes prætermitto dum nævos ostendo, in me confera-

tis licet culpam ; quam ipse in temporis huius angustias reiciam, pollicitus me ea de editione aliquando disputaturum æquius, iustius, fusius, etsi maligno interdum dente nonnulla sim rosurus.

Hæc præfati, ludum iam ludamus nostrum criticum, correctoresque paulisper agamus. Atque, si vobis videtur, ab epigrammatis ordiamur fere nonaginta, quæ hoc volumine continentur haud inurbana, quippe quæ redoleant elegantias Catullianas mollesque Jani Secundi delicias repræsentent, præterea circa amoris ignes versentur singula fere universa. Ecce epigrammatis decimi tertii basium unum, non « mille et deinde centum » :

(p. 160) *Ad Eandem* [= Portiam] XIII

Nec quot mollia floribus renident  
prata, cum Zephyri aura ver reduxit,  
nec quot sideribus polus coruscat,  
cum nigro tenebræ tegunt amictu  
terram, nec tibi quot petit Catullus, 5  
des mihi volo basiationes.

Unum des, mea lux, precor, misello,  
unum, Portia, suavium rogantem,  
unum basiolum mihi. At quot ille  
petit, quot polus astra quotque habet ver 10  
flores, tot, mea vita, duret horas.

Videtis quam sint venusti hendecasyllabi, quibus non solum quintum carmen Catullianum, sed et septimum, addam et Martialem epigrammatistam, est imitatus Barberinus, utpote qui ad innumerabiles rerum numeros alluserit ; siquidem siderum copia ex illo Catulli carmine est sumpta, cum florum numerus « Libyssæ harenæ » vices agat, et versus quintus cum sexto multa basiorum milia carminis Catulliani quinti in mentem nobis revocet, « basiationis » vocabulo rursus e septimo poematio Catulliano deprompto. Ceterum in osculorum usque repetitorum locum unius suavii venit perpetuitas. Hæc omnia satis eleganter, non diffiteor. At claudicat duobus locis, ni fallor, editio. Quid « ni fallor » dico ? Vos ipsos observasse puto vix tolerabilia, quæ huic carmini insunt, menda. Quid respondetis ? Nonne versu quinto « sibi » legendum autumatis, nonne versu octavo « roganti » ? Ita postulavit sensus, ita grammatica ; utrumque autem ostendit ipse codex. ❧

*Continuabitur*



1. Oratiuncula hæc anno MMVII scripta, mense Aprili anno MMVIII in Urbe coram Academia Latinitati Fovendæ sodalibus est habita. Verba referuntur ad hanc editionem : Jolanta Wiendlocha, *Die Jugendgedichte Papst Urbans VIII. (1623-1644). Erstedition, Übersetzung, Kommentar und Nachwort*, Editiones Heidelbergenses, XXXIII (Heidelberg : Universitätsverlag Winter, 2005) ; cfr. etiam WJ. Schneider, *Mittelateinisches Jahrbuch*, 42 (2007), 312-320 ; M. Laureys, *Neulateinisches Jahrbuch*, 9 (2007), 376-380.

2. *Roms sprechende Steine. Inschriften aus zwei Jahrtausenden* gesammelt, übersetzt und erläutert von Klaus Bartels (Mainz am Rhein : Philipp von Zabern, 2001<sup>3</sup>), p. 82.

3. De Urbano poeta egerunt i.a. Æmilius Springhetti, 'Urbanus VIII P.M. poeta Latinus et hymnorum breviorum emendator', *Archivum historiae pontificiæ*, 6 (1968), 163-190 ; Mario Costanzo, *Critica e poetica del primo Seicento*, II: *Maffeo e Francesco Barberini, Cesarini, Pallavicino*, Biblioteca di cultura, 4 (Roma: Bulzoni, 1970) ; Maria Castagnetti, 'I Poemata e le Poesie toscane di Maffeo Barberini, I : Stampe e problemi di cronologia', *Atti della Accademia di Scienze, lettere e arti di Palermo*, s. IV, 39, 2 (1979-1980 [1982]), 283-388 ; Vito Salierno, 'I "Poemata" di Urbano VIII', *Esopo*, 21 (1984), 35-42 ; Gustavus Wallner, 'De poematis Latinis Urbani VIII', *Latinitas*, 33 (1985), 267-275 ; Georg Lutz, 'Urbano VIII', in *Enciclopedia dei Papi*, 3 : *Innocenzo VIII-Giovanni Paolo II* (Roma : Istituto della Enciclopedia italiana, 2000), pp. 298-

321 ; Peter Rietbergen, *Power and Religion in Baroque Rome. Barberini Cultural Policies*, Brill's Studies in Intellectual History, 135 (Leiden - Boston : Brill, 2006) ; Urbanus VIII (Maffeo Barberini) (Vertaling Jean Pierre Rawie, 'Ijdele dichtersroem', *De Tweede Ronde*, 28 (2007), 3, 189 ; Dirk Sacré, 'An Unknown Edition of Two Latin Poems of Maffeo Barberini (Urban VIII)', *Humanistica Lovaniensia*, 56 (2007), 337-342 ; Gustavus Wallner, 'Imaginaria Constantini imperatoris epistula', *Latinitas*, 56 (2008), 56-59 ; Hermann Walter, 'Maffeo Barberini (Papst Urban VIII.) : *Adulatio perniciosæ*', *Studi Umanistici Piceni*, 28 (2008), 285-294.

4. Iustus Rycquius (Bononia) Iohanni Baptistæ Lauro (Romam), 24.1.1627 : R. Van den Berghe, 'Justus Rycquius', *Messenger des sciences historiques ou archives des arts et de la bibliographie de Belgique*, 1881, 457-477 (p. 467).

5. Dirk Sacré (ed.), *Rome en bet Latijn : van de Oudheid tot de 21ste eeuw* (Leuven : pro m.s., 2008), p. 383.

6. *Poemata* (Antverpiæ, 1634), p. 5. Cfr. etiam *La lyre jésuite. Anthologie de poèmes latins (1620-1730)*. Présentés, traduits et annotés par Andrée Thill (...), *Travaux du Grand Siècle*, 14 (Genève : Droz, 1999), Appendices (pp. 242-246).

7. *Poemata* (Romæ, 1640), p. 175.

8. *Poemata* (Romæ, 1640), p. 277.

9. *Leonis XIII Pontificis Maximi Carmina cum additamentis novissimis (...)*, ed. A.N. Mutsaers (Noviomagi : Malmberg, 1898), p. 204.

## VER EX ANNO TOLLERE

adagium 3460



tabula lusoria, duo grana pro secundo quadro, quattuor grana pro tertio, octo pro quinto et sic porro ut semper insequenti quadro multitudo granorum duplicaretur. Rex consensus et iussit, ut servi sui apportarent oryzæ grana e frumentario regali. Quadrum tabulæ decimum illi viro paravit 512 grana, quindecimum paravit 60.384 granorum. Quadrum quadragesimum primum iam ei paravit haud minus quam biliones<sup>10</sup> granorum. Sed abaci scaciludii superficies sexaginta et quattuor quadris depicta est. Rex igitur non potuit pretium tabulæ lusoriæ solvere, quod toto in orbe terrarum non existit satis oryzæ granorum.<sup>11</sup>

Cogitemus deinde, quanta velocitate augetur Terræ incolarum numerus. Nuper, ineunte ætate renaissance (sæc. XIV-XV) vivebant minus quam 400 miliones hominum et paulo antea, sæculo undecimo, circiter 280 miliones. Pater meus natus est anno 1935. Tum supra Terram ambulabant circiter duo milia<sup>12</sup> et 200.000.000 hominum. Ipse sum natus anno 1966. Tum vivebant hic iam plus quam tria milia et 300.000.000 hominum. Anno 2008 multitudo nostrum, Terræ opium qui sumus insatiabilis vorago, incredibili velocitate aucta iam attingit sex miliardorum et fere 700.000.000 numerum. Mathesis atrocissima? Quis audet ulterius ratiocinari?

Quo plures homines esuriunt, victus tanto ocus agrum colendo et piscando, pecorisque multitudinem augendo parandus nobis est. Sed unde plura invenimus arva, unde plures aquas piscosas? Manifesto silvis cædendis ac ulteriore in Oceano piscando. Sed quid tunc faciemus postquam omnes silvas ceciderimus? Quid si ulterius navigare non possumus? Ceterum silvæ et maria capiunt carboneum dioxydatum. Carboneum dioxydatum et certa alia gasa in aere emissa efficiunt ut clima nostrum calefiat. Et quo calidior aer, eo celerius glaciaria montium et polorum Terræ tabescunt. Hoc efficit, ut glaciaria, quæ antea sicut specula contra nimium calorem fungebantur, noniam Solis radios remittant e Terra. Simul ac Oceanus tepidior fit, polypi coralli suas symbioticas algas, a quibus accipiunt colorem et nutrimenta, perdunt ideoque candescunt morituri. Zona corallica, quæ circum oram Oceani tropici insularum sicut silva arboribus saxeis mirabilibus formata iacet, post mortem polyporum tota perdita erit. Et præterea aqua tepidior minus recipit carboneum oxydatum quam frigida. Sic igitur in fundo Oceani tepidioris latentia hydrata methani sensim tabescunt ac in aquam solvunt hoc gasum, quod ex altitudine maris in aera dispergitur. Methanum similia efficit ac carboneum dioxydatum: capit radios Solis – sed circiter quinquages celerius quam hoc. Ne hæc res simplex

esse videatur, dum atmosphæra calefit, simul tabescunt etiam campi Sibiria et Alaskæ immensi, qui hydrati methani moles ingentes perpetuo in gelu præhistoricis ex temporibus reconditas usque ad nostra tempora servant. Sed quam diu servare valent? Eluvio ingens, postquam aqua, quæ adhuc capta est, ex tabescentibus glaciariis absoluta erit, superficiem tollet Oceani aquæ plurium altitudine metrorum. Sic plures causas simul efficere, ut clima Terræ ocus ocusque calefiat, hodie inviti sumus coacti concludere. *Quin etiam si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes unius cuiusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non æternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus.*<sup>13</sup>

Hominum modus vivendi hodiernus requirit immanem quantitatem energiæ cuius maximam partem mundus sibi cottidie parat molem ingentem petrolei, gasi subterranei et carbonis fossilis comburendo. Et cum opes Terræ fossiles comburimus, simul emittimus carboneum dioxydatum in atmosphæram. Petroleo vero tam multimodis hodie utimur, ut omnino dependeat vita nostra a Terræ opibus petrolei. Tim Flannery<sup>14</sup> narrat homines cottidie sumere incredibilem petrolei molem. Ad cottidianam petrolei quantitatem, quam requiramus, implendam plantas præhistoricas circiter 40 decennia reactionibus chemicis energiam solarem servavisse et sic iam miliones ante annorum photosynthetizavisse biologiam materiam, cuius vires in petroleo cumulatae sint. Ergo petrolei energia eadem est ac Solis energia fossilis. Quamvis efficacius possemus capere Solis radios, quam hodie possumus, eorum energia cottidiana nobis esset parvi momenti, nam hodiernum modum vivendi non sine Solis energia iam olim capta possemus sustinere. Inventa vero est technologia energiam atomicam usurpandi, sed eadem ratione technologica ad energiam accipiendam relinquimus nostris liberis mortiferum radianis inquinamentum nucleare, quod neque deleri potest neque tute abscondi quodque permanet annorum centies milia. Præterea energia atomica non potest usurpari sine auxilio energiæ fossilis. Et si res denique eveniunt infelicissime, summum, quo natura potest affligi, calamitas nuclearis est damnum.

Talia problemata nobis accumulatur simili ratione ac grana oryzæ in abaco scacilutorio regis Persiæ. Primum nihil suspicimus, nihil omnino dubitamus et vitam vivere pergimus sicut parentes nostri nos docuerunt, sed subito videmus nos nimis lente egisse diemque omnino perdidisse. *Non licet hominem esse sæpe ita ut volt, si res non sinit.*<sup>15</sup> Si biosphæra capaci-

tas a nobis impletur et si opes naturales exhauriuntur, civitas tota hodierna sine ullo dubio collabitur propter pessimam penuriam, famem et pollutionem. *Adeon rem rediisse ut periculum etiam fam[is] mihi sit, Syre?*<sup>16</sup> Si Fortuna et Prudentia proximis decenniis nos fallunt, hominum supra Terram, qui sunt ausi de æterna vita somnare, visitationem velut evolutionis embolium fortuitum censeo finitum iri. *Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in templo hoc medium vides, quæ terra dicitur.*<sup>17</sup>

James Lovelock dies atros auguratur toto hominum generi esse futuros, nobis et præcipue progeniebus nostris. Dicit enim non solum Terræ biosphæram, sed totam Terram esse viventem, et eam ipse vocat Gaiam. *Heia! Ut elegans est! Credas animum ibi esse.*<sup>18</sup> Nam Gaiam semper æquilibrium vitæ ipsam sibi servare, si nihil eam perturbet, sed hodie hominum genus hoc æquilibrium eius tantopere industria sua et facilioris vitæ cupiditate iam concussisse, ut Gaia se ipsam iam defendere inceperit.<sup>19</sup> *Verum ubi videbit tantos sibi sumptus domi cottidianos fieri nec fieri modum, optabit rursum ut abeat ab se filius.*<sup>20</sup>

*Famam mihi narras? At paucissimis, o bone, tutum fuit famæ credere.*<sup>21</sup> Aliquando cum amicis hac de re, quæ me valde sollicitat et quæ ad omnes in mundo attinet, colloquor. Sed valde difficile est intellectu nos nunc omnino perperam vivere ac proinde condiciones vitæ nostris liberis futuras reddere intolerabiles. *Vin me istuc tibi, etsi incredibilest, credere?*<sup>22</sup> Qua ratione fieri potest, ut maxima pars hominum non videat hanc rem, quamvis cottidie manifesto ante oculos nostros pateat? Tres saltem rationes habemus, cur biosphæram Terræ servemus: 1) quod est res per se pretiosa, 2) quod ipsi incolæ sumus biosphæaræ, 3) *quod si esset factum, hæc numquam evenissent tibi.*<sup>23</sup> ❖

*At imbecillis, quo in numero magna pars urbanorum,  
omnesque pæne cupidi literarum sunt,  
observatio maior necessaria est;  
ut quod vel corporis, vel loci,  
vel studii ratio detrahit,  
cura restituat.*<sup>24</sup>

1. Senecæ *De brevitate vitæ* 2,1.
2. Sen. *De brev. vit.* 1,3.
3. Aristophanis *Batrakboi* 210 sqq.
4. Meadows, Donella et Jorgen Randers et Dennis Meadows, (2004). *The Limits to Growth – 30 Years Later*, cap. 4.
5. Terentii *Heautontimorumenos* 177.
6. Flannery, Tim (2005). *The Weather Makers*.
7. Ter. *Heaut.* 747.
8. Terentii *Andria* 206.
9. Sen. *De brev. vit.* 16,1-2.
10. Biliones, id est milies milies miliones sive 10<sup>12</sup> granorum.
11. Meadows et al. 2004, cap. 2.
12. Duo miliarda, id est bis milies miliones sive 3 x 10<sup>9</sup> hominum.
13. Ciceronis *De re publica* 6,23.
14. Flannery 2005, 91-92.
15. Ter. *Heaut.* 666.
16. Ter. *Heaut.* 980.
17. Cic. *De re publ.* 6,15.
18. Ter. *Heaut.* 1063.
19. Lovelock, James (2006). *The Revenge of Gaia*.
20. Ter. *Heaut.* 754-755.
21. Erasmi Roterodami *De recta Latini Græcique sermonis pronuntiatione dialogus* (ed. M. Cytowska 1973), 18,173. ASD I, 4, Amsterdam.
22. Ter. *Heaut.* 624.
23. Ter. *Heaut.* 157.
24. Celsi *Medicinæ liber* 1,2.

## DE IOANNE FRANCISCO FERNEL (1497-1558)

- scripsit Victorius Ciarrocchi -

Raro accidit ut in recentioribus commentariis ad medicinæ historiam spectantibus nomen legatur Ioannis Francisci Fernel, quem sæculo præsertim decimo sexto plerique docti summis laudibus extulerunt. Ortum habuit vir ille Francogallus anno circiter 1497 parvo quodam in oppido prope urbem Ambianum (*Amiens*) sito. Qua de re dubitari non licet, quoniam se « Ambianum » nuncupabat ipse, qui abhinc quinquaginta et quadringentos annos, die nempe 26 Apr. 1558 mortuus est in oppido Fonte Bellaqueo (Francogallice : *Fontainebleau*), teste etiam Villoelmo Plancy, illius medici discipulo et biographo.

Fernelius « multis doctus fuit scientiis, adeoque medicinam calluit, ut cognomentum Hippocratis meruerit Francogalli et Galeni moderni » (ut scribit Adalbertus Pazzini in opere Italice exarato c. t. *Historia artis medicæ*, Minerva Medica, Romæ, 1973, vol. I, p. 820), et, postquam anno 1519 in universitate Parisiensi studiorum curriculum perfecerat, quinque per annos philosophiæ, mathematicæ, litteris Græcis Latinisque diligenter operam dedit.

Domicilio cum uxore Parisiis collocato, in medicinæ studium adeo incubuit, ut huius disciplinæ magister clarus et peritissimus brevi sit habitus. In ipsa Henrici II aula, Galliarum regis, veluti archiater seu medicus primarius est delectus et Dianam Pictaviensem, celeberrimam feminam ab hoc rege perditæ amatam, quæ gravi correpta morbo erat, ad sanitatem reducere valuit.

Franciscum autem, Henrici patrem, lue Venerea laborantem, sanare nescivit Fernelius, qui tamen inter alios ætatis illius medicos doctos eminuit et gloriam non mediocre tulit etiam ex nonnullis operibus, quorum graviora sunt hæc :

1) *De proportionibus libri duo*, Parisiis, a. 1528.

2) *De naturali parte medicinæ*, quod anno 1542 editum est posteaque ampliatur a Villoelmo Plancy sæpius in lucem prodiit. Optima æstimatur operis supra memorati editio hæc : « Io. Fernelii Ambiani universa Medicina, tribus et viginti libris absoluta. Ab ipso quidem authore ante obitum diligenter recognita et quatuor libris nunquam ante editis, ad praxim tamen perquam necessariis aucta. Lutetiæ Parisiorum, apud Andream Wechelum, 1567 ».

3) Aliud scriptum, quod non modo ad varias pertinet artis medicæ investigationes, verum etiam multas tractat quæstiones philosophicas, est *De abditis rerum causis*, Parisiis editum a. 1548. Hoc in opere duo viri, Brutus et Philiatros, cum Eudoxo, medico eximio, de abditis quorundam morborum causis colloquentes inducuntur. Et quamvis hac ætate nostra pauci vel inter philosophos eam de animi facultatibus doctrinam



IOANNES FERNELIVS. DOCTOR. MEDICVS.  
N. Zornh. sculp.

<http://www.sil.si.edu/digitalcollections>

sequantur, qua freti plerique tunc nonnullas hominis inclinationes cum corporis partibus coniunctas esse autumabant, iuvat nihilominus legere hæc Fernelii verba : « Ex quibus intellegi potest non modo duas, sed tres in nobis facultates morales inesse. Rationis particeps appetitio, voluntas nuncupata, constanter prudenterque quippiam desiderat : quæ vero huius est expers, partibus duabus tenetur, quæ sunt cupiditas et 'thymosis', illa in iecore, hæc in corde. Cupiditatis rursum partes sunt libido et cuppedia, illa in testes, hæc in ventriculum effusa » (ex opere *De medicina* in scripto, L. V, cap. 19 ; Parisiis, a. 1578).

4) *Consiliorum medicinalium liber* (Francofurti, apud Ioannem Wechelum, 1584) præceptis non caret, quæ et hominibus hoc tempore nostro viventibus utilia esse videantur, sicut v.g. patet e consilio XVIII (« De pulsatione, sibilo et obesitate »), in quo leguntur et hæc : « Prima et summa curationis atque præcautionis pars in vivendi ratione consistit ; debetque dominus [senator quidam Carnotensis] laborans, vino in primis parcissime uti eoque bene diluto, ut minimum vini retineat. Elixirs potius quam assis carnibus vescendum et utrisque intinctis in omphacio vel aceto vel succo oxalidis vel limonum ». Sicut enim ea, quæ integrum servant corpus humanum, rectis ipsius functionibus

respondent ; ita e contrario multa sunt, quorum actio idem perturbare possunt etsi haud nociva esse videantur.

5) *De luis Venereæ sive morbi Gallici curatione perfectissima liber* (Patavii, apud Paulum Meietum, 1580). Cuius quidem in libri præfatione Victor Giselinus cum alia tum scripsit hæc : « Fernelii quæ exstant opera toties iam prelis subiecta, tam avide ab omnibus rapi videmus tantoque plausu ac fructu etiam apud externos publice doceri, ut qui passim medicinam faciunt, iis carere nolle, et qui in huius artis elementis versantur, eadem sine iis discere non posse videantur ». Quamvis vera luis Venereæ causa Fernelium, sicut et alios illius ætatis medicos, fugerit, et hunc morbum is a blenorhœa non recte distinxit (hi enim duo morbi, etsi uterque sexualis, tamen inter sese haud parum differunt), nihilominus symptomata « syphilidis » – ut hæc ætate nostra morbus ille Venereus appellari solet – accuratissime descripsit et quasdam eiusdem morbi causas, quas nullo fulti argumento valido alii medici veras esse putabant, recusavit easque ridiculas esse demonstravit. In secundo enim huius libri capite, cui titulus : « Luis Venereæ origo », cum alia tum scripsit hæc : « Annus fuit a Christo nato post M. et CCCC. nonagesimus tertius (aliis secundus) cum irrepsit lues Venerea apud Neapolim primum in Gallorum exercitum. Unde a Gallis Neapolitanus, a Neapolitanis Gallicus morbus est appellatus. Hunc iram Dei Opt. Maximi interpretati sunt theologi, cum hanc malorum a nobis morum pœnam exigi, hoc supplicium de scor-

tatoribus sumi publice docuerunt. Hinc statim mira tam horrendum affectum superstitio excepit, indoctis quibusque hominibus et mulierculis ad Divos nescio quos vota sua referentibus opemque ab iis poscentibus [...] At ego vel ab insulis quibusdam Americis, in quibus populariter affectum hunc grassari audio, per Hispanos in Gallorum exercitum vitium allatum crediderim : aut illic certe scorti cuiuspiam magna impuritate contractum ; cuius dein contagio in omnem Europam, Asiam, Africam et extremam Indiam defluerit omnemque orbis partem, quæ nostratum commercii utitur, impleverit ».

In morbis explicandis sub specie « physiologica » (is enim primus fuisse putatur, qui verbo « physiologiæ » usus sit) haud dubie acri usus est iudicio Fernelius, sed in eo aliquatenus erravit, quod corporis humani structuram sive anatomiam haud multum fecerit. Attamen canalem, quo dorsi medulla continetur pariterque eas intestinorum contractiones, quæ peristalticæ dicuntur, diligenter investigavit explanavitque. Eius valetudinem, quæ sæpe adversa fuerat, annorum decursu improsperiore reddiderunt crebriores vigiliæ ad studendum dicatæ : is enim nocturnis quoque horis opera antiquorum recentiorumque scriptorum legere solebat. Lingua Latinæ peritissimus fuit : hac enim lingua et fluentissime loqui valebat. Per quinquaginta et amplius annos post eius obitum nullus fere medicus fuit, non modo in Gallia, quin Ferneliana scripta attente legerit atque ex penitioribus, quæ his libris doctrina continetur, multum profecerit. ❧

---

AD GENOVEFAM IMMÈ,  
AMICISSIMAM, UNICAM GALLIÆ VATEM LATINAM

Te celebros, sed digna cani meliore poeta,  
felix quæ vixisti quondam cum vate marito,  
o quæ Galliarum superes nunc unica vates !  
Non solum Musæ sed Amor tua carmina Fidus  
concelebrant nobis atque immortalia reddent:  
non Musæ lacrimas spernunt, non mitia corda,  
non memorem spernunt Venerem, non pectora casta.

Alanus Van Dievoet

# NE IN OBLIVIONEM EAT DOM. ANTONIVS IOSEPHVS PERNETY

– scripsit Iobannes van Kasteel –

Mihi si adnuntiaretur in insulam longinquam discedendum esse et habitandum inter homines penitus toto divisos orbe, quo liceret tantum tres quattuorve libros mecum ferre, procul dubio inter alios eligerem quem anno 1758 composuit dominus Antonius Iosephus Pernety (1716-1796), monachus Benedictinus congregationis Sancti Mauri, inscriptum *Fabulæ Ægyptiacæ et Græcæ revelatæ et ad idem principium reductæ*.<sup>1</sup>

Etiamsi Pernety opus suum magnum Francogallice conscripsit, commentarii eius pertinent ad textus maiore parte Latinos vel Græcos quos Francogallice versos aut non raro Latine refert. Quia scopus eius est clavem proponere ad totam mythologiam antiquam explanandam, certe non indignabuntur *Melissæ* lectores quod hic pauca verba de eo faciemus.

De Pernety ipso hæc brevissima : erat scientia tam universali<sup>2</sup> ut bibliothecarius factus sit Frederici II ; Borussiam autem reliquit ad societatem Avennionense condendam c.n. *Société des Illuminés d'Avignon* (1786), quæ tunc temporis multos doctos undique adliciebat ; creavisse dicitur etiam quosdam ritus massonicos, etsi ipse numquam francomurarius fuisse videtur.

Veniamus ad sermonem introductorium *Fabularum*, qui incipit his verbis :

« Auctores qui permulti de hieroglyphis Ægyptiorum et de fabulis inde oriundis scripserunt tantum inter se differunt ut liceat libros suos tamquam novas fabulas ducere. Systemata eorum, quamvis ingeniosa et concinna sint aut certe appareant, mox omnibus partibus invalida patefiunt eis qui præiudiciis non excæcantur.

« Sunt qui credant in fabulis *historiam veram* inveniri illorum temporum quæ tamen fabulosa dicunt.

« Alii ibi solum *principia moralia* agnoscunt, quamquam sufficit oculos tendere ut ubique exempla videantur ad depravandum apta.

« Alii denique, quibus illæ explanationes non satisfecerunt, suas in *rebus physicis* hauserunt ; quæ ab inquisitoribus rerum naturalium hodiernis licet petere num eis potius quam illæ placeant. » [t. I, pp. 1 et 2]

Hos tres modos interpretandi iam optime, exemplis adhibitis, descripsit professor Berolinensis Andreas Fritsch in symbola c.t. « In mytho veritas ? ».<sup>3</sup>

Quamquam hæc methodi interdum ducunt ad explanationes quæ non omnino absona vel inepta videntur, ita ut liceat putare mythologos ex parte sensum eiusmodi in animo habuisse, non semper adhiberi possunt, neque ad *totum* mythum vel *omnia* eius singula expla-

nanda, neque ad *totam* mythologiam antiquam intelligendam. Pernety bene demonstrat interpretationem tantum historicam, cuius propugnator suo tempore fuit abbas Banier (1673-1741), etiam suscitare problemata chronologica inextricabilia ; explanationem ethicam, a Natali Comite (1520-1580) solam laudatam, redargui rebus ipsis immoralibus quæ consulto a mythologis in infinitum fictæ videntur ; physicos modernos non posse explanare, exempli gratia, pluvias aureas, arbores aureas, vella aurea, transformationes miras ab Ovidio narratas.

« Quoniam nemo horum prosperos exitus [in fabulis explanandis] consecutus est, licet credere principium generale quo usi sunt ad systemata sua ædificanda numquam *verum* principium illarum fabularum fuisse. Inveniendum est principium *unum* quo possibile sit res explanare *omnes*, usque ad minimas ex eis quæ narrantur, quamvis miræ, incredibiles et inter se contrariæ appareant. » [t. I, p. 2]

Conditio hæc, tamquam « sine qua non », iterum iterumque in memoriam repetitur :

« Quæ scriptores antiqui de Typhone dixerunt, alii conati sunt explanare modo morali, historico, physico. Hæ explicationes aliquotiens satis bene ceciderunt, sed numquam mythologis licuit fabulam explicare integram iuxta idem systema. » [t. I, p. 315]

« In systematibus eorum qui fabulas historice vel ethice explanare voluerunt, insunt difficultates inextricabiles quas se non extricare neque solvere posse ipsi confitentur. In meo inest nulla : omnia plana, omnia simplicia, omnia consentanea. » [t. II, p. 597]

« In systemate historico fateor hæc omnia intellectu molesta videri et insuperabilia ; in opere autem Hermetico nulla iam est difficultas, quod denuo ostendit hoc opus in omnibus fabulis doceri. » [t. I, p. 308]

« Res in fabulis circumstantes concordant et coaptantur cum coloribus et operationibus de quibus loquuntur philosophi [Hermetici], ita ut verisimilius explanentur in hoc quam in quovis alio systemate. » [t. I, p. XI]

« Vix ulla similitudo inter quaslibet fabulas ; omnes tamen idem docent. » [t. II, p. 113]

Ipsæ Athanasius Kircher (1601-1680), celeberrimus Iesuita cui alchymiam acriter refellere placuit, tamen suspicatus est eam sub velo fabularum latere. Nam ratio interpretandi a Pernety proposita omnino non est recens :

« Systema hoc non est novum ; absit a me ut velim

*Sapientia foris prædicat, in plateis dat  
vocem suam, in capite turbarum clamitat,  
in foribus portarum urbis profert verba sua.  
Proverbia 1, 20 et 21*

laudari eius inventor. Partes eius collegi sparsas apud multos scriptores, et veteres et modernos, quorum opera parum nota sunt parumque leguntur, quia scientia quam tractant aut ignoratur aut præiudicatur. » [t. I, p. 2]

Inter illos scriptores plurimos, quorum testimonia Pernety sæpe syllabatim profert, enumerentur sanctus Clemens Alexandrinus, Origenes, Synesius, Morianus, Eustathius, beatus Raimundus Lullius, Albertus Magnus, Basilius Valentinus, Petrus Vicot, Iohannes Trithemius, Rogerius Baco, Marsilius Ficinus. Quæ nomina consulto ponimus quia sunt viris Christianis, id est patribus vel doctoribus Ecclesiæ, abbatibus, theologis, episcopis vel archiepiscopis, vicariis necnon monachis, sicut Pernety ipse Benedictinus fuit. <sup>4</sup> Longe absit ut inferre velimus doctrinam Hermeticam publice agnosci ab eis qui Ecclesiam constituunt ; potius hic illustratur eos sæpe in *scientiam* incumbere quam comitem *fidei* quasi necessarium habent. Ut aliter dicamus, *Ecclesiam* a *Schola* separare nolunt. Verba Pernety ipsius sunt luce clariora :

« Philosophia ergo Hermetica est *schola pietatis et religionis*. Quibus Deus hanc scientiam largitur, pii iam fuerunt aut fiunt. » [t. I, p. 23]

« Omnes Antiqui Palladem [Minervam] duxerunt sapientiam et prudentiam, quippe quæ nata est de cerebro Iovis. Nam cerebrum est sedes ingenii sine quo non est possibile procedere in ulla re spinosa, neque in opere magno quod ea de causa ‘magisterium sapientium’ vocatur. Quia est secretum secretorum, quod Deus non revelat nisi quibus favet, divulgatio eius esset profanatio. Oportet sapientiam Palladis habere ad secretum discendum ac servandum. » [t. II, pp. 116-117]

Pernety addit multa verba Salomonis, auctoris *Sapientiæ et Proverbiorum* :

« [Sapiens] animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientium et ænigmata eorum. » [*Proverbia* I, 6]

« Gloria Dei celare verbum, et gloria regum investigare sermonem. » [*Proverbia* XXV, 2]

« Sapientes abscondunt sapientiam. » [*Proverbia* X, 14]

« Homo versutus celat scientiam. » [*Proverbia* XII, 23]

« Qui revelat mysteria, ambulat fraudulenter. » [*Proverbia* XX, 19]

Sine mysterio tamen ipsi philosophi, quia opus suum perficiunt in vase cui nomen indiderunt « navis », <sup>5</sup> recte « nautæ » dicuntur, quippe qui operationes in « nave » sua faciendas observant, curant, exercent :

« Navis est imago vasis naturæ... » [t. I, p. 391]

« Oportebat ergo quærere vas simile ei vasi quo natura utitur ad metalla formanda, ut fieret matrix arboris aureæ philosophorum. Non inventum est melius quam vitreum quod, ad naturæ similitudinem, sigillaverunt ne ullum principium inde exhalaretur. [...] Philosophi de vase ita locuti sunt in allegoriis suis, ut nemo suspicaretur sententiam eorum. Iam erat turris, iam navis... » [t. I, p. 162]

« Navis » est etiam nomen proprium signi sideralis quod « Argo » quoque vocatur. Nemo est qui nesciat Argonautas profectos esse ad vellum aureum conquiendum, id est membranam, ut vult *Suidas*, in qua ars chrysopœica docebatur.

Si vas hermetice sigillandum frangitur, naufragium a philosophis dicitur fieri :

« Flatores [Fr. ‘souffleurs’] creduli dies noctesque laborant ut eis bene succedat ; nam credunt se bonam viam sequi. Post autem multos labores, cum pæne pervenerunt quo exspectabant, aut vasa eorum franguntur aut alium casum patiuntur, ita ut rursus sint in loco ipso ubi in initio fuerunt. » [t. I, p. 619]

« In mari plures nautæ sapientes naufragium passi sunt... » <sup>6</sup>

« Iam explanavimus comites Ulixis esse alchimistas vulgares, discipulos philosophiæ pravos, qui se perdunt stultitiis suis singuli. Nemo eorum perveniet ad finem navigationis. » <sup>7</sup>

Opus suum perficiunt veri Hermetistæ – vel veri filii Hermetis, id est Mercurii – laborando in materia quam permultis nominibus appellaverunt ; inter quæ ὕλη vel « hyla » :

« Alphidius nos docet illam materiam vel fumum album radicem esse artis et argentum vivum sapientium. Philalethes confirmat illum argentum vivum esse verum Mercurium philosophorum. [...] Philosophi ei indiderunt nomina hæc inter alia : ... ‘hyla’... » [t. I, pp. 183 et 184]

« [...] Omnia existentia sub globo lunari sunt creata et formata ex dicta materia, quæ nominatur ‘yle’ [...] » <sup>8</sup>

« Mercurius dissolvans est vas unicum philosophorum, in quo totum magisterium perficitur. Philosophi ei Mercurio varia nomina dederunt, quorum celeberrima sunt : [...] ‘aqua fontis’ [...], ‘vas philosophorum’ [...] »

« Quando autem ille Mercurius cum corpore dissolvendo coniungitur, philosophi ambas res significant tamquam unam ; tunc dicuntur sapientes in Mercurio



invenire quiddam eis necessarium est. Ne ergo diversitas nominum in errorem ducat, ecce quædam maximi momenti : ‘aqua crassa’ [...], ‘hyle’, ‘compositum nostrum’ [...], ‘lapis’ [...]. » [t. I, pp. 160 et 161]

« Pythagoras in *Turba* dicit totam scientiam artis Hermeticæ esse hanc : materiam invenire, eam in aquam reducere, illam aquam cum corpore argenti vivi et magnesiæ iungere.

« Dicit Cosmopolita : ‘Quærite materiam quam in aquam reducat quæ aurum dissolvat naturaliter et radicaliter’. » [t. II, pp. 582 et 583]

« Scriptor *Rosarii* refert Mercurinum qui dicit : ‘Est lapis occultus et sepultus in fonte’. » [t. II, p. 392]

Lector noster animadvertat hos paucos locos citatos undique ex domini Pernety opere contractos esse ; qui tamen sufficiunt ad duos versus ex Vergilii sexto carmine bucolico sumptos Hermetice interpretandos et intelligendos :

« His adiungit, Hylan nautæ quo fonte relictum clamassent, ut litus ‘Hyla ! Hyla !’ omne sonaret. <sup>9</sup>

Commentarius ipse quem Pernety his versibus addidit pæne superfluum est :

« Diximus illum principem iuvenem [Hylan], aut devoratum aut demersum, esse materiam philosophicam quæ dissolvitur vel iam in aquam dissoluta est. » [t. II, p. 427]

« Nam ὕλη, unde ‘Hyla’, dicitur non solum ‘silva’, sed etiam ‘materia’ ex qua aliquid fit ; ita ut multi philosophi vocabulo ‘yle’ vel ‘hyle’ usi sint ad materiam generaliter designandam ex qua medicina aurea fit [...].

« Hylas descendit ad aquam hauriendam, quia materia in vase ponitur ut in aquam dissolvatur. [...] Materia non iam solida est, ut antea, postquam in aquam soluta est ; forma eius non iam patet, soliditas evanescit, et artifex, quia eam non iam talem videt qualis erat ante solutionem, recte dicit modo allegorico eam submersam esse. [...]»

« Mirandum non est scriptorem fabulæ finxisse Herculem litus sonantem nomine carissimi Hylæ quem non iam videbat. Illas vociferationes si quis æstimaret esse gemitus, male interpretaretur ! Sunt clamores lætitiæ vel stuporis, quales Trevisanus dicit se sustulisse cum videret librum suum foliis aureis compactum in fonte solutum et relictum esse ; quales emisit Cosmopolita cum animadvertit fructum arboris solaris fusum et ex oculis ablatum in aqua ubi Neptunus eum reliquit. » [t. II, p. 423-425]

Hoc solo exemplo adlato, lectori licet de similitudine inter fabulas et libros Hermeticos iudicare ; quæ in opere domini Pernety tam clara et admiratione digna apparet ut amatoribus linguæ ac Antiquitatis Græcæ Latinæque necnon Ægyptiæ omnino nefas sit *Fabulas* eius *revelatas* ignorare.

Ad concludendum, placet addere quædam verba quæ Pernety conscripsit in *Dictionnario suo mytho-Hermetico* :

« Scientia quæ dicitur sæpe præiudiciis colliditur quæ multo difficiliora victu sunt quam ipsa ignorantia. Puto ego homini, quo est maiore ingenio et scientia, eo minus negandum et plus possibilitatum in natura videndum esse. Credulus plus acquirit quam perdit : credulitas eius mentem in inquisitiones impulsat quæ eam ex errore eripiunt et semper docent ea quæ ignoravit. » <sup>10</sup> ❧

1. *Les Fables égyptiennes et grecques dévoilées et réduites au même principe*. Editionem anno 1786 divulgatam modo photographico in lucem revocavit domus editoria La Table d'émeraude, Parisiis, 1982. Sunt duo tomi quorum primus continet 580 paginas, secundus 627.

2. Scripsit de rebus religiosis, geographicis, naturalibus, de physiognomia, de artibus etc.

3. Cfr *Nuntius (L.V.P.A.)* XI, 1995, pp. 8-13, ubi tres rationes vocantur : *euberismus* ; *ethica* sive moralis ; *physica* sive naturalis. Notandum tamen est dominum Pernety in loco citato scientiam naturalem hodiernam vel modernam in animo habere quam « physicam vulgarem » vocat (t. II, p. 402) necnon dignoscit a « physica Hermetica » (t. I, p. 129), ita ut re vera quattuor rationes explanandi exstent.

4. Alberto Magno testante, « *multi canonici*, et docti et ignari in rebus physicis, huic arti [Hermetico] studebant » (t. I, p. 38).

5. Nam plura nomina eiusmodi ambigua sunt : ἀκατος, κύμβη, κυμβίον, σκάφη, σκάφιον, σκαφίς, τριήρης, etc. significant et navem, vel naviculam, et vas formæ plus minusve similis. Vocabulum Francogallicum « vaisseau » et vas et navem indicat.

6. N. Valois, *La Clef du secret des secrets [Clavis secreti secretorum]*, La Table d'émeraude, Parisiis, 1992, p. 171.

7. E. d'Hooghvorst, *Le Fil de Pénélope [Filum Penelopæ]*, t. I, La Table d'émeraude, Parisiis, 1996, p. 92.

8. R. Lullius, *Testamentum* I, 3.

9. Vergilius, *Bucolica* VI, 43 et 44. Sensus alchymicus huius carminis totius ab E. d'Hooghvorst iam illustratus est in symbola quam in lucem edidit *Melissa* 70, pp. 12 seq.

10. Dom. Antonius Iosephus Pernety, *Dictionnaire mytho-hermétique*, Denoël, Parisiis, 1972, p. 27.

DE PALLIO DALÆI LAMÆ *scripsit Alanus Van Dievoet*

Lectores Melissæ, pro certo habeo, attentissimo animo legerunt ea quæ Gaius Licoppe de budismo atque de arte græco-budistica conscripsit recens. Etenim, nunc cum magis magisque crescit budistica disciplina in partibus occidentalibus mundi, aliquid accuratius de ea scire non displicet.

Secta budistica nata est in India tempore Socratis atque ab antiquitate igitur radices trahit suas, statimque multum crevit in Asia. Non valuit variis de causis fines Europæ tunc temporis transgredi. Tamen in finibus extremis imperii hellenistici, asseclæ budismi, ut scite narravit Gaius, cum hellenismo commercia atque consuetudines habuerunt. Tunc temporis non iam togati ambulabant Romani, neque palliati Græci, sed simplicius tunicati. Attamen, unum genus hominum ad se distinguendum, id est philosophi, pallium, quod Græci sua lingua himation vocant, gerebant. Igitur, ut stoici, platonici, etiam philosophi budistici tali modo, secundum consuetudines translaticias, sese vestiebant. Cum disparuit dominatio hellenica, tamen perrexerunt magistri doctrinæ budisticæ ita sese pallio induere, et talem habitum usque ad plagas longinquissimas Thibeti et nunc usque ad Americam et Europam transtulerunt.

Igitur cum video Dalæum Lamam atque eius magis magisque frequentiores asseclas nunc semper pallio philosophico vestitos, cum sacerdotes catholici Romani reicerunt talarem, facere non possum quin de mira transmissione non solum doctrinarum sed etiam rerum trans sæcula cogitem. Etiam impediri mihi non possum quin Socratem, Platonem, Aristotelem denuo inter nos ambulantes videre putem.

DE HENRICI PIRENNE BELGICÆ HISTORIA *scripsit Geraldus Wailliez*

Apud <sup>1</sup> transrhenanos populos Germanicos conversio [ad religionem catholicam] simul fiebat cum novarum sedum episcopalium conditione ; apud autem Francos regionum fluvialium Scaldis Mosæque nihil id genus accidit. Cum Ecclesia tempus cum diœceses et antiquæ horum finium civitates Romanæ inter se congruebant non oblita esset, nihil aliud ei magis obvium visum est, nisi id quod antea fuerat instaurare. Idem fecit ac si nulla fuisset colonisatio Germanica regioque omnis sicut tertio sæculo adhuc ab eiusdem linguæ eorundem morum hominibus incoleretur. (...)

Quæ magni momenti effectus genuerunt. Ecclesia enim, diœceses neglectis populorum linguarumque finibus instituendo ac in eis Francos cum Belgo-Romanis commiscendo, earum incolas quodammodo paravit ut posteris sæculis mediationis partes agerent inter Romanum et Germanicum cultum civilem. Inde fit ut Belgarum res gestæ iam ab originibus valde differant a Batavorum rebus gestis. His enim conditio diœcesis Traiectensis (*Utrecht*) ab Anglo-Saxono Willibrod dedit metropolin religiosam omnino Germanicam. Aliter ac australes vicini, in provinciis ecclesiasticis Galliæ non conglobati sunt et fons eorum vitæ spiritalis nulla Romanitate est affectus.

Quanto nova fides eorum animas altius occupavit, tanto maior fuit apud Francos potentia harum regionum, quæ Romanæ factæ erant, ubi episcopi vivebant, ubi cathedrales eminebant ecclesiæ, ubi servabantur martyrum reliquiæ quas colebant, ubi eorum clerici instituebantur. (...)

Instigante Ecclesia, gentium diversitates minutæ sunt nec linguarum finis claustra factus est. Incolæ Germanicarum partium diœcesium Leodiensis (*Liège*), Cameracensis-Atrebatensis (*Cambrai-Arras*), Noviomensis-Tornacensis (*Noyon-Tournai*) se quodammodo ad meridiem verterunt, proprio autem ingenio haud mutato nec lingua deleta, ita ut Scaldis Mosæque Franci citissime aliquo modo Romani facti sint.

Ambo vero Belgii populi post quintum sæculum non coaluerunt, at fieri non potuit ut, sub eiusdem civilis cultus potentiam subiecti communique religionis cultu eadem loca petere coacti, inter se animo inimici vel seclusi diu manerent. Qua de causa a pestibus rixarum inter stirpes immunes fuerunt.

1. Textus depromptus de libro Henrici Pirenne c.t. *Histoire de Belgique des origines à nos jours* ; « Édition du centenaire de la naissance de Henri Pirenne », la Renaissance du Livre, Bruxellis, 1962, t. 1, p. 27-29. Interpretatio Gerdaldi Wailliez.







# In hoc fasciculo !

*De timoribus* [G. Licoppe] p. 1

*De Maphæi Barberini sive Urbani VIII carminibus iuvenilibus* [D. Sacré] p. 3

*De æconomici incrementi limitibus* [S. Jansson] p. 8

*De Ioanne Francisco Fernel (1497-1558)* [V. Ciarrocchi] p. 11

*Ne in oblivionem eat Antonius Iosephus Pernety* [L. van Kasteel] p. 13

*Lectorum sententiæ* [A. Van Dievoet, G. Wailliez] p. 16

*Imago tegumenti : Maphæus Barberini sive Urbanus VIII (1568-1644)*

([www.ibiblio.org/expo/vatican.exhibit/](http://www.ibiblio.org/expo/vatican.exhibit/))

---

## QVARTVM MELISSÆ ITER LATINVM

Melissæ proximum iter Latinum, quod fiet diebus 22-29 m. Augusti a. 2009, erit singulare et magnificentum. Celoce enim vehemur secundum pulcherrimum litus Turcicum, ut iam factum est anno 1991 in secundo itinere Latino. Halicarnasso (hodie Bodrum) solvemus, navigabimus secundum litus Cariæ, tangemus insulam Rhodum et finem faciemus in pulchro Marmaris sinu. In itinere stationes faciemus ad loca visu digna invisenda.

Cum præter nautas duodecim tantum vectores accipi possint, oportet ei qui participare cupiunt ad nos sine mora scribant.

Si quis plura scire cupit : [http://web.me.com/fundatiomelissa/Site/Iter\\_Latinum.html](http://web.me.com/fundatiomelissa/Site/Iter_Latinum.html)



MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

Banque ING : 310-0644994-30,

Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430